

QUÆSTIO XV.
DE CONSENSU.

SUMMA LITTERÆ.

Etiam consensus antecedit electionem ut causa ejus, et ideo post electionem agit de illo. Sumitur enim consensus dupliciter. Uno modo late pro quacumque complacentia de objecto. Et sic etiam circa finem esse potest consensus, id est, complacentia, et fruitio. Alio modo stricte pro complacentia collativa, quia placet aliquid in ordine ad aliud, et sic placet media cum ordine ad finem, et hoc proprie sonat nomen consensus, quasi sentire de uno simul cum alio, seu in ordine ad illud. Et quia possunt offerri plura media ad unum finem, et omnia placere, et consentiri, nec tamen omnia eligi, quia electio est determinativa alicujus medii inter plura, ideo consensus præcedit electionem. Potest tamen electio, et consensus esse idem actus realiter (licet cum diversis formalitatibus) quando electio est tantum circa unicum medium, ut dicit S. Thomas articulo tertio ad tertium, quia tunc voluntas determinate fertur in unum, etiam dum consentit.

In primo ergo articulo docet consensum esse actum potentiæ appetitivæ, quia est applicatio ad sentiendum, seu experiendum de aliquo, in quo complacet sibi. Et ideo cum consensus fiat cum complacentia sentiendi pertinet ad vim appetitivam, cui competit complacere.

In articulo secundo ostendit in brutis non esse consensum, quia licet sit in eis experientia, et sensus delectationis, non tamen applicant appetitum ex collatione, et arbitrio, sed applicantur ex instinctu naturæ. Unde non est in eis consensus, qui quamdam collationem importat in applicatione complacentiæ.

In articulo tertio ostendit, consensum non esse de fine, sed de mediis; de fine enim est simplex volitio, seu complacentia, eo quod ad complacendum de fine non movetur voluntas se applicando et movendo, sed primo volendo.

In articulo quarto ostendit, quod consensus in ipsum actum, seu in elicentiam operationis pertinet ad superiorem rationem, id est, ad illam partem, seu officium intellectus, qui divinas, et superiores rationes considerat, quia ad exercendum actum requiritur ultima, et finalis sententia de illa re, quæ non datur nisi consulendo usque ad ultimum, quod consuli potest, quamdiu enim aliquid consulendum restat, nondum est finalis sententia. Et vere talis consensus in actum, cum sit de aliquo determinate, et in singulari de agendo, sine electione non est.

seu sententiam tamquam terminum inquisitionis includit, eo quod consilium procedit resolutivo modo, ut dicitur articulo quinto, et sic resolutionem includit, quæ est terminus inquisitionis: si enim inquiritur, et nunquam ad resolutionem perve-

NOTANDA CIRCA ISTAS QUÆSTIONES.

I. Primo advertendum est, quod consilium ita includit inquisitionem, quod etiam ipsum iudicium,

NOTANDA CIRCA ISTAS QUÆSTIONES.

575

nitur, nihil datur consilii. Et quantum ad inquisitionem, consilium imperfectionem supponit, quia non inquiritur, nisi quod non scitur, et præsertim quando inquisitio non est cum pura nescientia, sicut potest esse in Angelis, qui etiam inquirunt, et quæstiones faciunt, sicut S. Dionysius in septimo capite cœlestis hierarchiæ, introducit Angelos quæstionem facientes ad Jesum de susceptæ pro nobis carnis opere, juxta illud Isai. LXIII: *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, etc.* Et Psalm. XXIII: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ.* Sed ista inquisitio in Angelis solum supponit nescientiam de his, quæ supra illos sunt, nec eis debetur talis cognitio, et ita sine discursu inquirunt. Nos autem cum discursu inquirimus, nec sumus solum capaces nescientiæ, sed etiam ignorantia, quia de his, quæ scire possumus multa nescimus. Quare consilium ex parte inquisitionis, qua proceditur ad iudicium de his quæ certa non sunt imperfectionem supponit. Et ex hac parte consilium non convenit Deo, qui omnia scit. Convenit tamen ei consilium pro ea parte, qua importat sententiam, et iudicium certum de re aliqua facienda, juxta quod dicitur Job XII: *Ipse habet consilium, et intelligentiam:* Psalm. XXXII: *Consilium autem Domini in æternum manet:* Ad Ephesios I: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.*

II. Unde fit, quod licet ad electionem semper præcedat consilium, loquendo de consilio quantum ad iudicium, et sententiam determinantem id quod eligendum est, quæ ratione dixit Aristoteles III ethico-rum, c. III, idem esse objectum eligibile, et consultabile, id est, sentiabile per consilium, et iudicium, tamen pro ea parte qua consilium importat inquisitionem, et quæstionem de re aliqua incerta, et dubitabili, non requiritur semper consilium ad electionem, sed potest ad ipsam procedi etiam sine tali inquisitione. Nam Christus Dominus habebat electionem, sicut elegit duodecim Apostolos, et tamen nullam dubitationem habebat, quia sciebat omnia. Et in minimis dicit D. Thomas articulo quarto, quod non est necessarium consilium, id est, inquisitio. Et quando Aristoteles universaliter docet, quod id est eligibile, quod est consultabile, non contradicit D. Thomas dicenti de parvis rebus non esse consultationem, licet sit electio, ut significat Vazquez super hunc articulum quartum. Sed mens Aristotelis est idem esse eligibile, et consultabile, sumendo consultabile, pro sentiabili, et pro consilio ut importat sententiam, et iudicium, non prout importat inquisitionem cum dubitatione, hæc enim non requiritur simpliciter ad electionem, quia aliquando jam supponitur determinatum esse medium, quod eligitur ex usu, aut scientia, vel experientia, aut ita minimum, ut inquisitione non egeat. In his enim, quæ determinata, et certa sunt consultationem non esse Aristoteles docet citato loco. Et idem est de rebus minimis, quia dubitationem non recipiunt.

III. Secundo notandum est illud iudicium, seu sententiam in qua terminatur consilii inquisitio, et a qua regulatur electio semper esse iudicium compositionis, aut divisionis, pertinereque ad secundam operationem intellectus, nunquam vero sufficere simplicem apprehensionem terminorum, qualis est in prima operatione intellectus, nec etiam solam enuntiativam compositionem, quæ antecedit iudicium. In

quo conveniunt fere omnes auctores præsertim Thomistæ, et quantum ad hoc cum eis convenit Vazquez hic disp. XLIV, c. III, num. XI. Et ratio est manifesta, quia electio non est sine aliqua collatione unius mediæ cum alio (quando sunt plura mediæ, et unum relinquitur) vel saltem ipsius mediæ ad finem, etiam si unum tantum medium sit, et ideo in brutis non datur electio, quia non operantur ex arbitrio, et collatione, sed ex instinctu moventur. Judicium autem cum collatione, et ordinatione, et consultatione est judicium compositionis, et divisionis, quale in brutis reperiri non potest; ergo ad electionem requiritur judicium compositionis. Et idem censendum est de omni actu voluntatis, qui regulatur aliqua collatione, et ordinatione unius ad aliud, sicut est intentio, usus, consensus, etc. est enim eadem ratio. Nec tamen negamus ista Angelo, quia licet non habeat compositionem, et divisionem, aut discursum formaliter, habet tamen aliquid eminentius, scilicet comprehensionem, qua facit per simplices actus, quidquid nos per collativos, et compositos.

IV. Difficultas vero est de omni alio actu voluntatis, vel appetitus, etiam non regulato per collationem, et ordinationem, an requirat judicium de convenientia rei; an vero simplici apprehensione convenientiæ moveri possit. Nam Vazquez citato loco, cap. II, censet non requiri judicium compositionis de tali convenientia, aut imperium aliquod, ut voluntas velit in omni suo actu, sicut nec etiam appetitus, sed sufficere simplicem apprehensionem convenientis, vel disconvenientis, ut patet in brutis; in quo contradicit opinioni aliquorum Thomistarum oppositum arbitratium.

V. Cæterum omnino dicendum est

non posse sine iudicio de ipsa convenientia objecti moveri voluntatem, aut appetitum, licet in nobis fiat cum compositione, et divisione, in brutis ex instinctu sine collatione. Itaque iudicium compositionis, et divisionis, et similiter simplex apprehensio rei convenientis æquivoce sumi possunt, et oportet distinguere. Nam aliquando compositio, et divisio sumitur pro conjunctione extremorum cum collatione, et cognitione ordinis unius extremi ad aliud, et sic solum invenitur in homine procedente cum deliberatione, et arbitrio. Alio modo sumitur compositio, et divisio pro conjunctione extremorum cum aliquo iudicio, id est, discretionem rei faciendæ, etiamsi non procedat cum collatione, neque ex arbitrio, sed ex impetu aut instinctu naturæ, dummodo non sit simplex apprehensio termini sicut est in prima operatione, sed complexa applicans, seu prædicans unum de alio, scilicet quod hoc est convenientis, aut disconvenientis. Et hoc omnino requiritur ad hoc ut moveatur voluntas, vel appetitus.

VI. Et hæc est sententia D. Thomæ et Aristotelis, quidquid Vazquez negare velit. Licet enim ad locum ex prima secundæ quæst. IX, articulo, primo ad secundum, et ad locum ex secundo sententiarum, distinct. XXIV, quæst. II, articulo primo, ubi S. Thomas docet voluntatem, aut appetitum non moveri sine æstimatione convenientis, aut disconvenientis Vazquez respondeat, quod ibi non loquitur sanctus doctor de iudicio compositionis, aut divisionis, sed de apprehensione convenientis et disconvenientis, tamen ex aliis locis D. Thomæ ubi id magis explicat, accipiendum est quid velit in his locis intelligere per æstimationem convenientis vel disconvenientis. Dicit autem doctor sanctus III de anima, lectione IV, in fine explicans textum CLIV philoso-

phi: « Quod appetitus non patitur, neque movetur ad simplicem apprehensionem rei, qualem proponit phantasia: sed oportet quod apprehendatur sub ratione boni vel mali, convenientis vel nocivi. Et hoc facit opinio in hominibus componendo, et dividendo dum opinatur hoc esse terribile vel malum, illud sperabile vel bonum. Phantasia autem non componit, neque dividit, patitur tamen appetitus animalium ab æstimatione naturali, quæ hoc operatur in eis, quod opinio in hominibus. »

VII. Ecce totam nostram sententiam. Primo generaliter ponit S. Thomas non moveri, neque pati appetitum a simplici apprehensione. Deinde, contraponit simplici apprehensioni, apprehensionem sub ratione convenientis aut nocivi; ergo quodcumque loquitur de cognitione convenientiæ, aut disconvenientiæ non loquitur de apprehensione simplici, sed de compositiva, et iudicativa. Tertio, exprimit hanc apprehensionem convenientis, et disconvenientis fieri in nobis componendo, aut dividendo. Quarto, non se restringit solum ad id quod terribile, et sperabile est, sed addit universalem disjunctivam, scilicet sperabile vel bonum, terribile vel malum, nomine mali et boni omne objectum voluntatis includens. Quinto, licet excludat a phantasia compositionem et divisionem, dicit tamen idem fieri loco ejus ab æstimatione naturali, scilicet ex instinctu, qui etsi non componat, et dividat, tamen habet iudicium simile affirmationi, et negationi. Quod postea expressit S. Thomas ibidem lect. XII, explicans textum XXIX et XXX philosophi. Dixit enim Aristoteles textu XXIX, loquens de sensu, quod sensus cum jucundum, aut molestum discernit quasi affirmat, aut negat, et glossat D. Thomas quod

signanter dicit, aut affirmans, aut negans, quia facere affirmationem, et negationem est proprium intellectus, sed sensus facit aliquid simile huic, quando apprehendit aliquid ut delectabile, et triste. Postea in textu xxx inquit Aristoteles: « Quod intellectiva pars cum bonum, aut malum affirmat, aut negat, fugit aut prosequitur. » Super quæ verba D. Thomas inquit: « Quod Aristoteles de intellectu dicit simpliciter quod affirmat, vel negat, sed de sensu quod quasi affirmat, aut negat. » Ecce manifeste ponit D. Thomas et Aristoteles iudicium per modum affirmationis, aut negationis in parte intellectiva ad prosequendum, vel fugiendum, in sensitiva autem parte quasi affirmationem, aut negationem, quia solum est iudicium ex instinctu, et æstimatione naturali. Et loquitur universaliter de omni actu appetitus, quia in prosecutione, et fuga omnis actus continetur.

VIII. Et sic non habeat locum explicatio Vazquez ad hunc textum philosophi, quod potest intelligi de aliquibus actibus voluntatis, non de omnibus, cum nullum Aristoteles excludat, sed absolute loquitur de prosequi, aut fugere. Quod vero dicit Vazquez, verum esse quod Aristoteles dicit voluntatem tunc fugere, aut prosequi cum affirmat, aut negat, ob id tamen non negare posse etiam aliter moveri, omnino impertinens est; cum enim Aristoteles loquatur ibi doctrinaliter, et modum tradat quo sensus, et voluntas moventur, omnino diminute procederet, si diceret moveri quidem voluntatem ab affirmatione, et negatione, occultaret autem et non diceret, quod etiam sine affirmatione, et negatione posset aliquando moveri.

IX. Ratio autem cur appetitus non moveatur nisi a proposito objecto